

ALIXTI  
IN LIBROS  
N.T.

# Contenta.

1. Georgij Calixti Commentarii in Quatuor priorum capitum Genesios Expositio literalis. 2. Historia Iosephi iure XII posteriorum capitum Genesios Expositio literalis. 3. Exodij XX priorum capitum Expositio literalis. 4. Lc X Dei Mosaica in classes juxta Decalogue digesta et ubia cum Ceremonialibus atque iudicis aliis, ex versantibus legibus expedita. 5. In Prophetas Prophetae. 6. Expositio Oraculi de 70 Hebdomatibus Danielis. 7. de Usuris R. Myris. 8. In Evangeliorum scripturis et locorum etc. explicatio.
2. Georgij Calixti Concordia etiæ prior Evangeliorum
3. Georgij Calixti Historia Magorum è cap. 2 Matthæi.
4. In Acta Apostolorum Expositio literalis.
5. In Epistola S. Pauli ad Romanos.
6. In Epistola S. Pauli ad Corinthios priorem et posterioriem.
7. In Epistola S. Pauli ad Galatas.
8. In Epistola S. Pauli ad Ephesios.
9. In Ep. S. P. ad Colosenses priorem.
10. In Ep. S. P. ad Thessalonicenses priorem.
11. In Ep. S. P. ad Philipenses.
12. In Ep. S. P. ad Titum.

Sammelband


46366.

II.

GEORGII CALIXTI  
S. THEOL. D. ET IN  
ACAD.IVLIA PRIMARII  
PROF.  
IN EPISTOLAM  
SANCTI APOSTOLI PAVLI AD  
**THESSALONI-**  
CENSES PRIOREM  
EXPOSITIO LITTERALIS.  
QVOMODOILLA ANTE ANNOS XXIIX, QVVM PUBLICE  
PROPONERETVR EXCIPi POTVIT.  
NUNC PRIMUM EDITA.



BRVNVS VIGAE,  
Typis & sumptibus ANDREAE VANCKERI,  
M. DC. LIV.



(1.)

IN EPISTOLAM  
SANCTI APOSTOLI  
PAVLI AD THESSALONI-  
CENSES.  
PRIOREM  
EXPOSITIO LITTER ALIS.  
PROOEMIV M.

**H**eſſalonica urbs Macedo-  
niæ, quæ olim dicta Halia, à Caſ-  
ſandro condita. Cum autem Phi-  
lippus Amyntæ filius Thessalos  
ibi vicisset, no vum id nomen sor-  
titæ fuit: ita quidem Stephanus  
de urbibus: qui tamen aliam quo-  
que ex Lucillo Tarrao nominis  
originem ad fert, nempe ab uxo-  
re Philippi hoc deducitum fuisse.

Sita est in ora ſinus Macedonici medio flexu littoris, ut ſcribit  
Plinius lib. 4. cap. 10. Ptolomæus locat in Amphaxitide regio-  
ne inter Chabrim & Echedorum fluvios. Geograph. l. 3.  
cap. 13. Sinum cum ipſe tum Strabo lib. 7. Thermaicum ap-  
pellant, quem Pomponius Mela Meciber nærum flexum, ſuo  
tempore, quod Apostolorum ætatem paulum antevertit,  
hominum copia præ aliis floruisse testatur Strabo. Neque  
vero dubium eſt, cum Metropolis Macedoniæ, habita fue-  
rit, quin & loco commodo ac mercimoniis opportuno ſita

sit, unde pristinam celebritatem & magnitudinem, hodie  
quoque sub servitute Turcica seruat. Fatiscente enim im-  
perio orientali, annis ante occasum ejus xxix, æra Christia-  
nae c<sup>l</sup>cccc xxiiii, cum de urbe adversus Turcorum vim  
tuenda, Constantinopolitani Imperatores desperarent, Ve-  
netis eam vendiderunt, quibus vix annos octo possebam cri-  
puit Amurates II. anno Christiano c<sup>l</sup>cccc xxxi. Videat,  
cui lubet, Laonicum Chalcocondylam, qui Thermam vo-  
cat, nomine congruente cum vicini sinus appellatione, de  
rebus Turcicis lib. iv. Et historiam Musulmannam Leon-  
clavii lib. xiv. Ex eo Turcis servit, Archiepiscopatu nihilo-  
minus insignis, potissimum vero Emporio nobilis, ut ob am-  
plitudinem, opes & frequentiam, quæ Iudeis magnam par-  
tem constat, reliquis hodiernæ Græciæ urbibus ab iis, qui vi-  
derunt, anteferatur. Dicitur truncato & detorto antiquo  
vocabulo, Salonichi, sinusque cui adsita Golfo de Salonichi.  
Sed hisce obiter adnotatis ad rem nostram proprius acceda-  
mus. Thessaloniam venerat Paulus, ibique Evangelium  
prædicarat non sine fructu. Cæterum ab infidis Iudeis tu-  
multu excitato, cum qui crediderant magnis affe*cti* mole-  
stij*s*, tum Paulus urbe excedere coactus, primo Beream,  
deinde Athenas se contulit; ut est Aector, 17. ab initio capititis  
usque ad v. 16. Athenis autem subsistens de fidelibus, qui  
Thessalonicas erant, ne afflictionibus succumbentes Evan-  
gelij tæderet, sollicitus, ad eos stabiliendos & exhortandos  
Timotheum misit, ut est hac ipsa Epist. cap. iii, 1. 2. 3. Cum  
autem ad Paulum rediisset Timotheus, lœtumque nuncium  
de firma Thessalonicensium fide & charitate attulisset, hanc  
ad eos scripsit Epistolam, qua constantiam gratulatur, & lau-  
datos ipsos in fide porro fortiter servanda confirmat, cap. I.  
Quam fidem & doctrinam quanta industria & integritate  
Apostolus prædicaverit, & isti quanta promitudo & ala-  
critate

eritate suscepserint, cap. ii. exponit, additque de suo ipso in-  
visendi desiderio; quod cum expleri aliter non potuisset,  
misisse se Timotheum, à quo reverso tam lata audierit, ut  
DEO maximas gratias agat, & eorum perseverantiam assiduis  
precibus commendet, cap. iii. Deinceps hortatur ad sancti-  
moniam vita, mutuam charitatem, & studium quietis.  
Prohibet enim defunctos more gentilium lugere; eaque  
occasione, seriem nostræ resurrectionis & adventus Domini  
describit, cap. iv. Cum autem tempus adventus sit incer-  
tum & incomptum, monet, ut semper ad eum excipiendū  
sint parati, tandemque epistolam variis admonitionibus  
concludit, cap. v. Hanc vero, uti eam quoque quæ sequi-  
tur, omnium quas Paulus scripsit primas esse, communis &  
admodum probabilis est sententia. Athenis missam esse  
habet subscriptio in plerisque exemplaribus græcis. Sed ve-  
ro similius est, Corinthi scriptam, Thessalonica videlicet  
Beroeam Paulus migravit, ut supra diximus. Beroea, relatis  
ibi Silâ & Timotheo, Athenas, quos tamen eodem mox ve-  
nire jussit. Act. xvii, 14. 15. Athenis Timotheum ad Thessa-  
lonicenses ablegavit: & libuit, inquit, nobis, ut soli Athenis de  
relinqueremur, hic cap. III, I. Igitur Beroea nōdum venerat  
Silas, aut Timotheo comes fuit additus, etiamsi id reticeat  
Paulus, & Timothei tantum quacunque de causa sive ut no-  
tioris, sive ut aliquantum celebrioris, quo memorato alte-  
vius quoq; recordaturos non dubitaret, mentionem faciat.  
Athenis, ubi haud diu videtur hæsisse, Corinthum digressus,  
hac in urbe annum & sex menses commoratus est, eoquæad  
ipsum venerunt ex Macedonia Silas & Timotheus, Act. or.  
xviii, 1, 5, II. Epistolam autem scripsit post redditum Timothei  
è Macedonia, hic cap. III, 6. Igitur Athenis non scripsit, sed  
Corinthi. Adjungit autem sibi sub initium Epistolæ in sa-  
lutatione Silam & Timotheum, quod Corinthi, unde scri-  
bebat,

bebat, uterque adessent, etiam Timotheus, vel potius uterque Thessalonicam nuperrimè adiissent, & officio consolationis & exhortationis defuncti, ad Paulum jam rediissent. Quem enim Acta Silam vocant, eum Paulus in duabus hisce Epistolis Silvanum dicit, ut recte judicat Theodoreetus, nomine Hebræo in aliud vicinum, cui latine & Græcæ aures assueverant, deflexo, quâ ratione ipse Apostolus Saul olim dictus, Paulus appellari coepit. Actor. XIII. Dupliciter itaque fallitur Hieronymus, & quod Sila apostolum putat significare, cum potius denotet fortunatum aut tranquillum, & quod mendum in textum Epistole irrepsisse, & pro Silvano Silam rectius scribi, existimat. Verba Hieronymi ad Damasum sunt epistola 143. extremâ: *Sciendum Silam collegam Pauli linguâ Hebræa Apostolum dici, qui cum eo nonnullas epistolæ scribit, & vitiosè Silvanus legitur pro Sila, cum Silvanum in Apostolorum Actis non legamus.* Chrysostomus quæstionem movet, quare Silas sive Silvanus Timotheo præponatur, & respondet: *Fortè hoc ideo factum est, quod Timotheus pro magna sua modestia ita fieri rogaverit.* Cæterum Silas, qui nuper una cum Paulo Philippis carcere sustinuissebat, erat isto præsertim tempore Timotheo multo celebrior, fortassis etiam ætate major; Cum non solum hic, sed ubique junguntur, ut Actor. XVII, 14, 15. & XIX, 5. Timotheo præponatur. Neque vero tum, ut hodie à talium rerum curiosis fieri amat, magna inter eos, qui alij alios honore prævenire, ut est Rom. XII, 10. satagebant, ejusmodi dignitatis aut præcellentiae ratio habebatur.

PRIMVM

## PRIMVM CAPVT.

**P**AVLVS itaque ET SILVANVS ET TIMO-  
THEVS ECCLESIAE THESSALONICEN-  
SIVM, QVAE EST IN DEO PATRE ET DO-  
MINO IESV CHRISTO, hoc est, quæ divinitus  
vocata, & Deum patrem ejusq; filium agnoscens, (*Hec est  
enim vita eterna, ut te cognoscant illum solum verum Deum, &  
quem misisti Jesum Christum. Ioh. xvii, 3.*) illius gratia & hujus  
merito ntitur, GRATIAM, ET PACEM, AB IPSO ILLO  
DEO PATRE ET DOMINO IESV CHRISTO, à quibus  
omnis gratia & pax descendit, appreccantur, \*GRATIAS  
AGIMVS, ajunt, SEMPER DE OMNIBVS VOBIS quod  
scilicet Evangelio credideritis, & haec tenus, superatis qui-  
busvis difficultatibus & persecutionibus, in fide laudabiliter  
perseveraveritis MENTIONEM VESTRI FACIENTES  
IN PRECIBVS NOSTRIS. Cum enim qui Deum invo-  
cant, aut pro beneficiis acceptis gratias agant, aut aliquid  
beneficij vel continuari vel offerri sibi aliis vē petant, nos in  
precibus nostris, etiam quod nos attinet, utrumq; facimus,  
nempe pro gratia, per quam credidistis, gratias agimus, &  
ut in fide constanter perseveretis, oramus. \*INDESINEN-  
TER COMMEMORANTES, sive in precibus ad  
Deum, sive in sermonibus ad homines, OPVS FIDEI  
ET LABOREM CHARITATIS ET PATIEN-  
TIAM SPEI, hoc est, phrasī Hebraeorum, quibus no-  
men substantivum alteri substantivo jungitur ad decla-  
randam qualitatem vel affectionem, quam alias voca-  
bulo adjektivo Latini efferunt, opus fidele & laborem  
charitativum, ut nonnulli loquuntur, aut charitatis  
plenum, & patientiam bene & firmiter sperantem:  
Sive per hypallagen, per quam quod epitheti loco  
est,

v. 1.

v. 2.

v. 3.

est præmittitur: verbi gratia, beatitudines viri psal. i, i. Viror  
herbæ ps. xxxvii, 2, fidem efficacem, & qua se se operando  
exserat, ut εἰ γὰρ τὸ πίστεως idem sit quod πίστις ἡ ἐπί γε μέν. Gal. v,  
6. & laboriosam charitatem & patientem spem sive expecta-  
tionem (*si enim quod non cernimus speramus, nempe per patientiam expectamus* Rom. viii, 25.) DOMINI NOSTRI IESU  
CHRISTI. Spem scilicet qua expectatur Servator venturus,  
suosque fideles ærumnis, quibus hac in vita premuntur,  
erutos perenni gaudio & gloria beaturus. CORAM DEO  
ET PATRE NOSTRO. Dupliciter accipi potest, & re-  
1. ferri vel ad superius, indesinenter commemorantes in pre-  
cibus nostris, scilicet ad Deum; vel ad propinquius, fidē, cha-  
ritatem, spem coram Deo & patre nostro, ad denotandam  
excellentiam & sinceritatem harum virtutum. Hebrei enim  
quod eximio modo & sincere fit, coram Domino fieri di-  
cunt. \* SCIENTES, FRATRES DILECTI, A DEO, cui  
totum hoc salutis nostra beneficium acceptum ferendum,  
ELECTIONEM VESTRAM, quæ scilicet ad gratiam est &  
fidem. Quomodo enim homo quicquam, de aliorum ho-  
minum, atque adeo illi de completa Thessalonicensium ele-  
ctione, quæ ad gloriam est, & perseverantiam ad extremum  
usque halitum includit, sive præsupponit, certi esse possint?  
Vnde autem de electione, cuius meminit, constet, mox sub-  
jungens; \* QVONIAM, inquit, EVANGELIVM NO-  
STRVM CONSISTIT APVD NOS, IN SERMONE SO-  
LVM, hoc est, non hac fine apud vos sletit prædicatio no-  
stra, ut nos verba saltem faceremus, & aërem atque aures  
sonis impleremus: SED ETIAM IN POTENTIA, ET IN  
SPIRITU SANCTO, hoc est, in potente & efficaci Spi-  
ritus Sancti operatione, nobis scilicet extrinsecus verba fa-  
cientibus, intrinsece in animis vestris operatus est Spiritus  
Sanctus

v. 4.

v. 5.



EPISTOL. AD THESSALONICENS.

Sanctus u[er]bi c[on]tra ληρας Φοριας πολλ[ay]ς, ET IN MVLTA magnaque  
persuasionis sive adhesionis CERTITVDINE, hoc est ad  
externam prædicationem nostram factum est, ut Evangelij  
prædicati veritatem animis vestris Spiritu Sancti interna ope-  
ratione suâ penitissime infigeret, & firmissime persuaderet. E-  
lectionis itaque quæ pro præsenti & ad gratiam est, indubi-  
tatum πεπυνθεντο EVangelio firmiter assentiri. Atque istud hoc pa-  
cto EVangelium non consistit solum in sermone. Exemplo  
contrario res erit illucrerior. Paulo Athenis prædicante,  
EVangelium ipsius solum in sermone constituit apud eos, qui  
dicebant, quid si uult spermologus iste? Act. xvii, 18. Item  
cum audissent resurrectionem mortuorum, alij quidem sanis exci-  
piebant, alijs dicebant, audiemus te rursus hac de re. v. 23. Apud  
hos, inquam, solo sermone constituit, neque potentia neque  
Spiritui Sancto neque πληροφορia, ut hic apud Thessalonici-  
enses. SICVT NOSTIS IPSI, ait, QVALES FVERI-  
MVS INTER VOS, & quomodo in prædicationis mini-  
sterio nos gesserimus, quantasque afflictiones pertulerimus  
VESTRI CAVSA. \* ET VOS IMITATORES NOSTRI  
FACTI ESTIS ET DOMINI, nempe sicut nos promte & a-  
lacrer EVangelium prædicabamus, nec adversitatibus &  
persecutionibus ab officio deterrebamur, imo sicut ipse Do-  
minus & Servator noster, quo plures adversitates expertus,  
eò ferventiore studio ministerium suum peregit, ita quoq;  
vos alacriter & promte EVANGELIVM AMPLEXI  
ESTIS, CVM AFFLCTIONE MVLTA, ea, quan-  
tacunque esset, nihil obstante CVM GAVDIO SP̄RITVS  
SANCTI, sive ab interna Spiritus operatione profecto.  
Hoc enim Spiritus Sancti beneficium est, ut qui Christi  
& salvifica fidei nomine affliguntur, in mediis affli-  
ctionibus, etiam si naturali carnis inclinationi aduersen-

v.6.

B

tur,

tur, & dolorem illi inferant, nihilominus exultent & gaudent. Ita acceptis plagiis Apostoli gavisisunt, quod digni habiti efferunt, qui pro nomine Iesu contumelia afficerentur Act*or.* v, 41.

v.7. \*Et hæc in vobis adeo fuerunt insignia, VT EXEMPLARIA quæ intuerentur sibique imitanda proponerent (utitur plurali ad significandum tot suis eximis pietatis typos, quo fuerant homines) FVERITIS OMNIBVS CREDENTI-BVS IN MACEDONIA ET CONTERMINA ACHAIA.

v.8. \*A VOBIS ENIM, sive occasione vestra promptitudinis, patientiæ, constantiæ, PERSONVIT SERMO DOMINI, hoc est, percrebuit de virtute Evangelij, & quam pios probosque homines efficiat, fama, NON SOLVM IN MACE-DONIA ET ACHAIA, VERVM ETIAM IN OMNEM LOCVM (accipiat juxta subjectam materiam, vicinum scil. & quo fama cunq; penetrare potuit,) FIDES VESTRA QVAE IN DEV*M* EST, & quidquid pietatis & virtutum eam consecutum est, DIMANAVIT, VT NECESSE NON HABEAMVS ISTA DE RE QVICQVAM LOQVI, aut aliis eam enarrare. \* IPSI ENIM nos potius præveniunt & DE NOBIS ANNVCNIANT, sive enarrant, QVALEM INGRESSVM HABVERIMVS AD VOS, quo fructu & effectu prædicaverimus, quamvis inter medios hostes positi, ET QVOMODO invitati prædicatione nostrâ, neque de territi tribulatione vel nostrâ, vel vestrâ, CONVERTERI-TIS VOS AD DEV*M*, RELICTIS IDOLIS, figuris videlicet nihili, inanibus & inanimis, VT SERVIRFTIS DEO VIVO ET VERO, qui proinde & hostes suos facile ulcisce-tur & fideles suos abunde remunerabit. \*ET EXPECTARE-

v.9. TIS FILIVM EIVS E COELIS, quæ videlicet maxima imo unica fidelium hisce in terris afflictorum spes & consolatio, QVEM SVSCITAVIT A MORTVIS, ne nos in morte permanecamus: *primitia enim eorum, qui obdormierunt factus est,*

*¶* 37. I. Corinth. xv. 20. IESVM, inquam, ERVENTEM NOS AB IRA ILLA VENTVRA, hoc est, condemnatione justo irati Dei judicio omnibus infidelibus & impiis infligenda, quippe veniet dies, *qua reddetur unicuique secundum operam sua.* Rom. ii. 6. Neque quidquam absurdius quam ex præsentibus calamitatibus Dei iram, aut ex prosperitatibus gratiam æstimare.

## SECUNDVM CAPVT.

 Vod autem illi, de quibus supra, vers. 9.  
de nostro ad vos ingressu, ejusque felice successu  
effectuque annunciarunt, id VOSMETIPSI, FRATRES,  
qui experti estis & quos res concernit, optime NOSTIS, INGRESSVM VIDELICET NOSTRVM AD  
VOS NON FVISSE VANVM aut sine fructu. \* SED ETIAM  
MVLTA PRIVS PASSI ET CONTVMELII AFFECTI, SICVT  
NOSTIS PHILIPPIS, ob ejectum nempe ex ancilla Pythonis  
spiritum virgis cæsi & in carcerem conjecti, Act. XVI, mini-  
me tamen deterriti fuimus, sed ANIMOSE, παρησια VSIS SV-  
MVS AD ANNUNCIANDVM APVD VOS EVANGELIVM  
DEI CVM MVLTO CERTAMINE, ab improbis iudæis com-  
motâ turbâ, & tumultu per civitatem excitato; de quo videa-  
tur Act. XVII, 5. & seqq. \* EXHORTATIO ENIM NOSTRA,  
qua apud vos, ut desertis Idolis ad Deum verum & vivum  
converteremini, institimus, NON FVIT EX IMPSTVRA  
per quam nobis imperium aliquod acquireremus, aut vos  
pecunia emungeremus, NEQVE EX IMPVRITATE, ut scili-  
cet per nostram doctrinam licentia & libidini frenos laxare-  
mus, NEQVE CVM DOLO, ut sub titulo religionis nostrum  
negotium ageremus; quales imposturae, impuritates, frau-  
des in Simone Mago falsisque doctribus alijs, præcipue ve-  
ro & in summo, quod ajunt gradu in flagitio so Mahumethe

v. 1.

v. 2.

v. 3.

v. 4.

funt deprehensa. \* SED SICVTI PROBATI FVIMVS  
 A DEO QVIBVS CREDERETVR EVANGELIVM,  
 hoc est, sicut Deus per suam gratiam idoneos nos fecit EVAN-  
 gelij ministros, 2. Cor. III, 16. & tanquam idoneos vocavit  
 & elegit (probatus enim esse à Deo, nihil hīc aliud est, quam  
 à Deo vocatum & electum esse) ITA LOQVIMVR, nempe  
 sicut decet & oportet loqui eos, quos Deus ipse idoneos  
 Evangelij ministros electione suâ fecit & esse judicavit,  
**NON VT HOMINIBVS PLACENTES**, à quibus videli-  
 cet neque Apostolatum nostrum, neque gratiam & vires,  
 tanto muneri necessarias, accepimus, quibusque si placere-  
 mus, *Christi servi non essemus*. Gal. I, 10. **SED DEO EXPLO-**  
**RANTI CORDA NOSTRA** quippe hominibus externā  
 quadam specie aut fuso facile potest imponi, Deo, qui inti-  
 mos animi recessus scrutatur, non potest, \* **NEQVE ENIM**  
**VNQVAM SERMONE ADVLATORIO**, quo videlicet ho-  
 minum affectibus aptato gratiam eorum aūcuparemur, VSI  
**SVMVS, NEQVE AVARITIAE CAVSA**, ut lucrū ex præ-  
 dicatione nostrā facremus quicquam prætexuimus. Obser-  
 va hic adulationem & avaritiam quæ omniū malorum radix

v. 5.

v. 6.

v. 7.

dicitur 1. Tim. VI, 10. *vitia esse ministris Evangelij maxime fu-*  
*gienda.* \* **NFQVE EX HOMINIBVS QVAERENTES**  
**GLORIAM, NEC A VOBIS VEL AB ALIIS.** Nempe se-  
 rio & sincere in officium intenti fuimus, ideoq; neq; auribus  
 inserviimus, neq; id egimus ut nos ad placitum locutos suo  
 favore & præconio paſtim homines prosequerentur, \* **CVM**  
**POTVISSEMVS uti jure nostro, & oneri ESSE, SICVTI A-**  
**POSTOLI CHRISTI**, quibus videlicet ipse constituit, ut  
*qui Evangelium annunciant, ex Evangelio vivant*. 1. Cor. IX, 14. &  
*ut communicet, qui instituitur in sermone, cum eo qui se instituit,*  
*omnia bona*, Gal. VI, 6. Abstinuimus tamen hoc jure nostro,  
**ET FVIMVS MANSVETI**, faciles & benigni IN ME-

DI

DIO VESTRI, nihil à quoquam exigentes aut petentes, VT SI NUTRIX FOVERET LIBEROS SVOS. Nihile est tam sordidum aut molestum, quod non infantis sui causâ mater nutrix subeat, neque ad fôrdes & molestias illas tolerandas, ulla gloriæ vel lucri spe aut desiderio invitatur, sed solo materno affectu ducitur. Optimè igitur Apostolus affectum erga Thessalonicenses suum, & quam ab ambitione & avaritiâ in toto hoc negotio alienus sit, exemplo nutricis parentis declaravit. \* ITA cupidis vctri GRATVM, imò gaudio & voluptati NOBIS ERAT, IMPERTIRI VOBIS, NON SOL VM EVANGELIVM DEI, & ejus prædicandi ministerium, SED ETIAM NOSTRAS IPSORVM ANIMAS, hoc est, nos totos & operam etiam manuum nostrarum, sive quidquid labore corporali nostro potuimus acquirere. Eo enim, & non vestro sumtu, dum vobis prædicavimus, viititavimus. In istum sensum Sirac. viii, 22. Ne affligas famulum opus facientem fideliuer, neq; mercenarium qui tradit animam suam, EO QVOD CHARISSIMI NOBIS ESSETIS. Sequitur uberior declaratio eorum quæ sam sunt dicta. \* MEMINISTIS ENIM FRATRES, ait, LABORIS NOSTRI AC AERVMNAE, (repetit eadem sequente Epist. cap. III, 8.) NOCTE ENIM AC DIE OPERANDO, NE CVI VESTRVM ONERI ESSEMVS PRAEDICAVIMVS EVANGELIVM DEI, sive ut loquitur Actor. xx, 34. *Vtibus meis & iis qui mecum sunt manus istae ministrarunt.* Igitur ne suspicionem quidem quod quæstus faciendi ergo ad vos venissent, incurrere potui. \* VOS ipfi, qui exerna nostra omnia potuistis pervidere, quin oculis vestris actiones nostras inspexistis, TESTES ESTIS, ET DEVIS, cui intima animi penetralia sunt pervia, QVAM SANCTE ET IVSTE ET INCVLPA TE ERGA

B 3

VOS

v.8.

v.9.

v.10.

v. II.

VOS QVI CREDIDISTIS NOS GESSERIMVS. \* SICVT NO-STIS quam seduli & solliciti in officio fuerimus ET QVO-MODO VNVMQVEMQUE VESTRVM, TANQVM PATER LIBEROS SVOS HORTABAMVR ET SOLABAMVR.  
 Nam haud satis est bono pastori in communi & publice uni-versos alloqui, sed privatim etiam singulos monere, repre-hendere, consolari oportet, prout se dat occasio vel necessi-tas exigit. ET OBTESTABAMVR, VT AMBVLARE-TIS sive vitam vestram institueretis, SICVT CONVENIT DEO, VOCANTI VOS AD SVVM REGNVM ET GLORIAM. Nempe ut reluceat in moribus & omnibus fa-fis vestris, quod summi & sanctissimi Domini servi sitis, & quod ejus beneficio potiri cupiatis, non fluxis delitiis aut di-vitiis hujus mundi, sed veris, solidis & cœlestibus bonis. Ad eundem sensum Philip IV, I. Ambuletis ita ut convenit voca-tioni qua vocati estis. Coloss. 1, 10. Ambuletis sicut Domino con-venit. Ibi uno loco Vocationis, altero Dei fit mentio. Hic autem Deus & vocatio conjunguntur. Quoniam enim universum hoc negotium non humanum est, sed divinum, & Deus est qui verbo suo vocat, & promissionibus invitat ad beatitudinem invisibilem & futuram; atque adeo quod hic traetatur, neque sensibus explorari, neque rationis acu-mine investigari aut demonstrari potest: Sed totum in eo positum est, ut Deo dicenti & revelanti, qui nec fallit quen-quam, nec fallere potest, fides habeatur. \* PROPTERE A-NOS ETIAM DEO INDESINENTER GRATIAS AGI-MVS, QVOD ACCIPIENTES *λογον ανοης* VERBVM AV-DITIONIS A NOBIS, hoc est, juxta Hebraismum, verbum auditum, sive auribus perceptum ex nostrâ prædicatione, qui alias nuperime virgis casii & vagabundi, nullâ externâ specie aut dignitate commendabamus, vel doctrinæ aucto-ritatem conciliabamus, VERBVM, inquam, DEI, quod à Deo

v. 13.

Deo profetatum est, & Dei voluntatem de hominum salute  
pandit, RECEPERITIS ILLVD & amplexisitis NON VT  
VERBUM HOMINVM, de quorum videlicet autoritate  
ambigi potest, ideoque non indubitatæ fidei, sed saltem opini-  
onis assensum meretur; VERVM, SICVT EST RE-  
VERA, VT DEI VERBUM, de cuius infallibili veritate  
dubitari nequit, QVI ETIAM OPERATVR IN VOBIS,  
QVI CREDIDISTIS. Nempe etiam si certum sit, & apud  
omnes sanæ mentis extra controversiam positum, Deum  
infallibilis esse autoritatis & veritatis, atque verbum ejus  
absque omni dubitatione recipiendum, quia tamen evidens  
minime est Deum nobis loqui, aut verbum quod nobis  
proponitur Dei verbum esse; neque ad hoc demonstran-  
dum aut euincendum, ulla suppetunt ex ijs, quæ naturali  
judicio subsunt, depromta: ideoque fides salvifica, Dei ver-  
bo habenda, non est ex nobis, aut humanarum virium, sed ex  
peculiari, & supra naturæ ordinem divinitus donata, & in-  
trinsicus operante gratia. Quæ tamen ipsa, ut alibi exponi-  
mus, nemini necessitatè credendi imponit, sed facultatem  
credendi, qua destitutus alias erat homo, largitur, ut jam u-  
trumq; ille possit, nempe vel virtute atque beneficio gratiæ  
verbum recipere, vel secundum nativam pravitatem con-  
tumaciam indulgere, Spiritui Sancto resistere, & verbū repel-  
lere. Donat autem Deus suam gratiam, & per eam agit, non  
sine interventu mediij alicujus externi. Nam absque eo expe-  
ctandi forent raptus & enthusiasmi. Hoc ipsum est λόγος  
ανον, ad quæ extrinsecus sonantē, Deus sua gratia intrinsecus  
operatur, nisi homo pravæ suæ indoli obsecutus pertinaci-  
ter Spiritui Sancto resistat. Recte itaque Gregor. Magnus  
lib. xxix. in lobum, cap. xiii. alludens ad verba psal. LXXVII, 20.  
Sagitta Dei, inquit, pertransiunt, quando verba prædicationis ejus  
ab auribus ad corda descendunt. Item: Quilibet prædicator ver-  
ba dare

ba dare auribus potest, corda vero aperire non potest. & nisi per internam gratiam solus omnipotens Deus prædicantium verbis ad corda audientium invisiibiliter aditum præstet, in cassum prædicatione aure audientis percipitur, quo pervenire ad initia corde surdo prohibetur. Hæc ille. Interea certissimum est, nihil ex omnibus, quæ vel sub sensum, vel sub intellectum cadunt, esse, cum quo Deus gratiam largiatur, & per quod proximo fidem efficiat, præter verbum, sensibus & intellectu perceptu. In textu autem πνευματικού, perceptionem, quæ prædicto verbo viribus naturæ feragitur, significat: δέχεσθαι vero receptionem, per immotum fidei assensum, qui non est ex nobis, neque ex virtute naturæ, sed gratiæ & Spiritus Sancti. Sensus igitur versiculi hujus hic est: Gratias agimus Deo, quod verbum Dei, ex nobis per auditum percipientes, receperitis illud, non ut verbum hominum, de quo posset ambigi, sed ut verbum Dei, assensu videlicet fidei firmo & immoto, quem ad perceptionem verbi, persuam gratiam, in credentibus Deus ipse operatur, nec eum solum, sed charitatem quoque, patientiam, & quidquid Christianarum virtutum veram vivamque fidem solet comitari. \*

V.14.

VOS ENIM FRATRES, ut in amplectendâ fide, ita quoque in persecutionibus tolerandis, IMITATORES FACTI ESTIS ECCLESiarvm, QVAE SVNT IN IVDAEA IN CHRISTO IESV collectæ. Quippe QVI EADEM PASSI SITIS, ET VOS A PROPRIIS TRIBVLIBVS, vestrâque ipsorum gente, quam tamen commoverant Iudæi, ut vide re est Actor. xvii, 5, & seqq. PROVT ET IPSAE passæ sunt à suis gentilibus IVDAEIS. Iudæos Thessalonicenses admodum obstinatos fuisse, ex illâ historiâ constat. Quitaq; in eâ urbe nomen Christo dederunt, pagani fuerunt, sive idolorum cultores, ut docemur etiam superioris capitî versu penultimo. Ne vero scandalum quisquam pateretur,

quod

quod doctrinam Christi repudiaret & damnaret populus ille, qui Dei nomine & cultu præ alijs totius mundi nationibus gloriabatur, cuiusque citra controversiam erat adoptio, gloria, pacta legis constitutio, religio, promissiones, patres, & ex quo ipse Christus secundum carnem, ut dicitur Rom. ix, 4, 5. Ea propter desperatione Iudeorum malitiæ, & oblitati pervicaciæ nonnulla subiicit. \* QVI ETIAM DOMINVM IESVM mundi Servatorem ET PROPRIOS, sive sibi peculiariter destinatos, (quid itaque exteris non faciant, si non pepercerunt suis. Vocem quidem Marcionis à Marcione additam existimat Tertullianus, sed sine fundamento) PROPHETAS OCCIDERUNT NEQUE DEO PLACENT (est μείωσις, sive extenuatio, pro, Deo extreme displicent & odio sunt) ET OMNIBVS HOMINIBVS ADVERSANTVR. Neque enim quisquam capitalior humani generis hostis est, quam qui impedito cursu Evangelij, regnum cœlorum hominibus præcludit, & neque ipse ingreditur, neque introeuntes sinit introire, quemadmodum de Pharisæis conqueritur Servator. Matth. xxiii, 13. Et hic etiam de Iudeis Apostolus. \* PROHIBENTES NOS GENTIBVS LO. QVI VT SERVENTVR, VT SEMPER COMPLEANT PECCATA SVA, quæ à parentibus suis acceperunt quasi hereditaria. Ejusmodi enim peccata compleri dicuntur, quæ posteri à majoribus accepta imitantur, & quorum tandem exhausta divinâ longanimitate, quando venit terminus, ultra quem tolerari non debere constitutum est, pœnas luunt. Ita Gen. xv, 16. nondum completa est iniquitas Amorrorum. Matth. xxiii, 32. vos quoque complete mensuram patrum vestrorum, nempe patrum & posteriorum peccata, cumulum quendam conficiunt, & nisi pridem præcessissent varia majorum delicta,

C

men-

v. 15.

v. 16.

mensura nondum esset completa, neq; perventum ad terminum, quem statuit Deus. Atque adeo pœnæ adhuc differuntur.

OCCUPAVIT ENIM EOS IRA, hoc est, justū irati Dei judicium, AD EXTREMVM VSQVE, ita ut penitus, & perfecto excidio, cum temporali per Titum & Romanos, tum eterno, sint peritui.

v. 17.

\* Subiicit de suo ipsis invisiendi desiderio, ORBATI, ait, VOBIS, sive disjuncti à vobis, quanquam non diu admodum, sed saltem AD TEMPORIS MOMENTVM.

v. 18.

\* SEMEL ATQVE ITERVM CONSILIVM CEPIMVS AD VOS VENIENDI, SED IMPEDIVIT NOS SATANAS, obijiendo videlicet obstatula, & improborum hominum, qui ipsius sunt instrumenta, insidias. Propositum quidem hominis fidelis, quatenus in actu interno voluntatis consistit non potest impedire, executionem vero potest, præseruum quando ea externis & diversis indiget adminiculis, quod recte observavit Basilius

Magnus, regulâ contractiore 275. Alibi in simili casu dicit Apostolus: Si Dominus permiserit, i. Corinth. xvi, 7. & hic quoque rectè diceretur Dominum non permisisse. Neque enim potest Satanus quidquam moliri aut efficere, nisi permittat Dominus. Permittit autem sæpe, ut bonos exerceat, & pijs quoque eorum conatibus impedimenta obijciat.

v. 19.

\* NAM QVÆ EST NOSTRA SPES, capitul metonymicè, pro objecō spei, uti etiam cum dicitur: Spes si cernatur non est spes, Rom. ix, 24. AVT GAVDIVM AVT CORONA DE QVA GLORIER? quasi dicat: qui sunt de quibus optime sperare, aut propter quos solido gaudio gaudere, aut quos habere possim, tanquam coronam de qua glorier? ANNON inter reliquos, qui per ministerium meum sunt conversi, ET VOS IN CONSPETCV DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, IN EIVS ADVENTV, quando videlicet Doctores opera sua p̄cium ferent, & tanquam stellæ firmamenti

mēti radiabunt. Similiter de Corinthiis, II. epist. I, 14. *Vos gloria nostra estis in diem Domini Iesu, \* VOS ENIM profecto ESTIS GLORIA NOSTRA* (repetitio majoris asseverationis ergo instituitur) ET GAVDIVM. Ita etiam sequente epistola, cap. I, 4. *nos ipsi de vobis gloriamur apud Ecclesias Dei.* Observa bonos discipulos doctorum gloriam & coronam esse.

V.20.

## TERTIVM CAPVT.

 *V*m itaque tanto desiderio & curā vestri teneremur, NOS NON AMPLIUS CONTINENTES, OPTIMVM DVXIMVS, VT quod nos per nosmetipso facere non poteramus, per alios faceremus, & SOLI ATHENIS DERELINQVEREMVR. Silas enim, ut diximus in proœmio, aut Beroë Athenas nondum transierat, aut Timotheo comes ire jussus est. Majorem videlicet vestri quam nostri rationem habuimus, \* MISIMVSQVE charissimum, & cuius familiari ope alias ægre careremus, TIMOTHEVM, FRATREM NOSTRVM AD VOS STABILIENDOS ET EXHORTANDOS SVPER FIDE VESTRA. \* VT NEMO PERTURBETVR, aut à firmitate fidei dimovetur PROPTER ISTAS AFFLICTIONES, quibus cum vos tum nos tribulamur; IPSI ENIM NOSTIS AD HOC NOS ESSE CONSTITVTOS, quasi dicat: hac lege & conditione Christianismus. *Opertet enim omnes, qui volunt piè vivere in Christo Iesu, persecutionem pati.* II. Timoth. III, 12. Nempe vidit Deus ab æterno Satanam & impios ad inferendas pijs afflictiones promtos & paratos semper fore: Cum autem posset impedire, statuit, aliquando; imo sepe permettere, (*ecce ego misito vos,* ait Servator, *tanquam oves in medium luporum.* Matth. x, 16.) ut fideles exerceantur; qui probi sunt, manifesti siant, quemadmodum

V.1.

V.2.

V.3.

C 2 dum

dum dicitur i. Cor. xi, 19. Et Deus in suis eorumque patientia & constantia glorificetur. Supposita itaque; Satanæ & impiorum malitiâ Dei; permissione, junctam habente directionem ad optimos, quos diximus fines, oportetpios pati, & ipsi ad hoc constituti dicuntur. Beati autem qui persecutionem patiuntur justitia causâ; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

v. 4.

Matth. v, 10. I. Petr III, 14. \* ETENIM, ne quicquam inopinatum accideret, vosque turbaret, PRAEDICEBAMVS VOBIS FORE, VT AFFLIGEREMVR, CVI PRAEDICTONI RESPONDIT EVENTVS, VT NOSTIS.

v. 5.

\* QVAMOBREM ET EGO, certus videlicet affligi vos & tribulationibus exerceri, ob sollicitudinem de vobis NON AMPLIVS ME CONTINENS, MISI Timotheum VT COGNOSCEREM FIDEM VESTRAM, num ea in pristino statu rite perduraret: veritus NE QVOMODO occasione istarum afflictionum TENTASSET VOS TENTATOR ILLE, qui velut leo rugiens obambulat quarens quem fidelium degluiat I. Pet. v, 8. ET vobis tædio ærumnarum deficiëtibus, INANIS REDDITVS ESSET LABOR NOSTER quæ haec tenus vobis erudiendis & ad Christū adducendis impendimus. \*

v. 6.

NUPER AVTEM CVM REVERSUS A VOBIS TIMOTHEVS LÆTA OMNIA NVNCIASSET DE VESTRA FIDE ET CARITATE (totam pietatis summā duabus hisce vocibus complebitur) ET QVOD BONAM NOSTRI MEMORIAM RETINEATIS. Decet enim & bonum est indicium, auditores suorum doctorum, qui locutii sunt eis verbum Dei, memores esse. Hebr. XIII, 7. \* PROPTEREA CONSOLATIONEM FRATRES, EX VOBIS, quirecchè habbatis, ACCEPIMVS, IN OMNI AFFLICIONE ET NECESSITATE NOSTRA, cuius nunc nos multominus angit & afficit sensus, PER FIDEM VESTRAM postquā videlicet intelleximus fidē vestrā in tuto esse. \*

v. 8.

NVNC ENIM VIVIMVS, hoc est, quamvis durissimè affligamur,

vicio-

videmur tamen nobis quasi ex morte in vitâ redire, & admodum belle habere SI VOS PERSEVERATIS IN DOMINO, tantus est noster in vos amor & affectus & tantum de in-  
columitate fidei vestræ gaudium. \* QVAM ENIM GRA-  
TIARVM ACTIONEM, quæ ulla ex parte magnitudini be-  
beficij respondeat, REPENDERE POSSVMVS DEO DE VO-  
BIS, PRO TANTO GAVDIO, QVO PROPTER VOS GAV-  
DEMVS. \* NOCTE AC DIE MAGIS AC MAGIS ROGAN-  
TES (quanto enim augetur de vobis gaudium, tanto quoque  
vestri crescit desiderium) VT coram VIDÉAMVS VE-  
STRAM FACIEM, ET QVAE DESVNT FIDEI VE-  
STRAE SVPPLÉAMVS. At ipse supra illos summopere  
commendarat, eorumq; efficacem fidem, laboriosam cha-  
ritatem & patientem spem multis prædicaverat: Quomodo  
itaq; hic commemorat ~~in sepius ait in missis~~, quæ supplenda sint  
& perficienda? Respondeo apostolum non respicere esse fi-  
dei simpliciter, sed bene esse, sive non loqui de fundamentali  
& ad salutē necessariā in Christū Iesum fide, quā minimè de-  
stituebantur Thessalonicenses, (neq; enim sine illâ inter fide-  
les censi potuissent) sed de aliis circa fundamentū quæstio-  
nibus sive doctrinis, qualium unam de modo resurrectionis  
nostræ sequente capite attingit, alterā de tempore adventus  
Christi & antichristo sequente Epistola c. II, item de ritibus,  
alijsq; ad ordinē & decorū facientibus, quæ quidē ad religio-  
nem Christianā pertinent, ejusq; ornamenta sunt, sed funda-  
menta minime. Fuerat autē improbitate adversariorū coact⁹  
Apostolus, Ecclesiā fundatam, subito, atq; adeo accuratiore  
plurium rerum cognitione & externis ceremoniarum orna-  
mentis nondum instructam relinquere. \* Quoniam vero  
domini est dirige et gressus viri, Prov. XVI, 9. & conatus hu-  
manos adoptatum finem perducere: IPSE DEVS ET  
PATER NOSTER ET DOMINVS NOSTER  
IESVS CHRISTVS DIRIGAT VIAM  
C. 8 NO-

V. 9.

V. 10.

V. 11.



v. 12.

C. 1.

v. 13.

NOSTRAM AD VOS ut tandem remotis impedimentis  
voti compotes reddamur. \* FAXIT AVTEM DEVS, VT  
AVCTIORES SITIS ET EXVBERETIS , ita videlicet indies  
proficiatis ut vosmetipso supereritis, MVTVA INTER VOS  
CHARITATE ET ERGA OMNES: *Charitas quidem praci-  
pue exercetur erga domesticos fidei*, Eph. vi, 10. sed hinc etiam  
se ad universos homines diffundit, QVEMADMODVM  
ET TIAM NOS ERGA VOS ut charitate exunde-  
mus & operam damus, & Deum precamur, \* VT COR-  
DA VESTRA sive animos vestros inculpatos STABI-  
LIAT IN SANCTIMONIA CORAM DEO ET PATRE NO-  
STRO, hoc est, non fucatâ sed verâ sanctimoniam, *sine qua ne-  
mo videbit Dominum*, Heb.xii, 14. IN ADVENTVM DÖMINI  
NOSTRI IESV CHRISTI perseverantiam apprecatur & san-  
ctimoniam ad extremum usque sartam testam, cuius de-  
mum in adventu Christi fructus percipietur. *Qui enim  
perseveraverit in finem usque, is servabitur* Matth. x, 22, & 24.13.  
. CVM OMNIBVS SANCTIS SVIS quando videlicet glorio-  
sus adductis secum sanctis suis, ad universale & extremum  
. judicium aderit. Posset quoque referri ad præcedentia,  
stabiliat vestra corda in sanctimoniam cum omnibus sanctis suis,  
hoc est, pari cum reliquis suis sanctis sanctimoniam: sed prius  
malo,

## QUARTVM CAPVT.

v. 14.

**R**GO QVOD RELIQVVM  
EST, FRATRES, cum sciatis non stare res no-  
stras sine temporali aut terreno, sed expectari  
adventum Domini è coelis ad judicium,  
PRECAMVR VOS ET OBTESTAMVR IN  
DOMINO IESV per ejus videlicet reverentiā  
& amorem, qui cum nostrum omnium nomine obediens  
factus sit æterno patri ad mortem usque crucis, debemus  
ipſi

ipſi vicifim obedientiam, & nihil detrectare, quod eſus no-  
mīne à nobis pōſtulatur. (Ecce autē humanitatem Pauli  
comiter ad id in vitantibz, quod ſeverius poſſet exigere, bonis  
paſtoribz erga oves duci faciles imitādam) VT SICVT  
ACCEPISTIS & edo & cſtis A NOBIS QVOMODO O-  
PORTEAT AMBVLA RE ſive vitam homine Christiano  
dignam agere, ET PLACERE DEO, POTIVS EXCEL-  
LATIS, hoc eſt, vos nictipſos in dies magis magisque proſi-  
ciendo vincere ſtudeatis. Eſtis enim in via & bene progre-  
di cœpistis. Non eſt autem quod quisquam in hac vita ſibi  
perfectionem cui nihil addi poſſit promittat. Cuivis itaque  
danda opera, ut in dies magis & magis proficiat, ſequi ipſum  
ſuperet. Ei enim qui habet, hoc eſt, bene proficit & progredi-  
tur, dabitur gratia ad ulteriorem faciendum progressum, at-  
que ita amplius habebit: qui vero non habet, etiam quod habet,  
olleetur ab eo. Matth. xxv, 29. \* NOSTIS ENIM QVAE  
MANDATA DEDERIMVS VOBIS cum praefentes per  
nosmetipſos, tum quoque abſentes per Timotheum  
(παραγγελία enim proprie eſt mandatū quod per manus tra-  
ditur & accipitur) PER DOMINVM IESVM, hoc eſt, auco-  
ritate & nomine Domini Iesu tanquam ejus legati. Nomine  
Christi legatione fungimur, & velut Deo vos regante per nos ora-  
mus Christi nomine II. Corinth. v, 20. \* NAM HAEC EST  
VOLVNTAS DEI, nempe SANCTIFICATIO VESTRI,  
hoc eſt, quemadmodum ē vestigio ſubijcitur, VT ABSTI-  
NEATIS A SCORTATIONE. Hujus præcipue criminis  
& apostoli in ſuo decreto mentionem faciunt, Act. xv, 29 &  
hic Paulus, quod ſimplex ſcortatio apud Græcos aliasque  
gentes criminis non daretur. Non eſt flagitium, ait ille, adole-  
ſcentulum ſcortari. Quin alicubi in libidine cultum numinum  
poſuerunt. Babylonii omnibus mulieribus indigenis commu-  
ne fuit, ſemel in vitā ad Veneris templum deſideribus cum exten-  
nu viris conſuetudinem habere; ut ſcribit Herodotus ſub fin.  
lib. I.

V.2.

V.3.

lib. i. additque similem quandam legem in Cypro fuisse. Ratio itaque satis magna quare ab hoc flagitio peculiariter A-

v.4.

postolus deterreat. \* VT SCIAT VESTRVM VNVS.

**QVISQUE SVVM VAS POSSIDERE IN SANCTIFICATIONE ET HONORE**, hoc est, Sancte sive caste & honeste: ut enim hemicem libido bestijs & brutis, ita è con-

v.5.

trario castitas sanctis & puris angelis similem facit. \* NON IN MORBO CONCUPISCENTIAE SICVT GENTES

**QVAE NON NOVERVNT DEVVM.** Augustinus vas

cujuusque pro uxore cujuusque accepit. His enim verbis Apostoli recitatis, subjungit: *Non solum igitur conjugatus fidelis, vase non utatur alieno, quod faciunt à quibus uxores aliena appetuntur, sed nec ipsum proprium in concupiscentia carnalis morbo possidendum sciat.* lib. i. de nuptijs & concupisc. cap. viii. vide quoque contra Iulianum lib. 4. cap. 10. & lib. 5. cap. ix. Re-

Etius vero Theodoreus non ad maritos modo & conjuga-  
tos, sed ad quosvis fidèles praeceptum pertinere affirmans,  
vas cujuusque juxta Hebraismum corpus cujuusque interpre-  
tatur. Vas enim Hebrei quodvis instrumentum, & quid-  
quid usui alicui aptatur. Suum autem sibi corpus instru-  
mentum cuique est. Achimeleucus Sacerdos ad Davidem  
1. Sam. xxi. 4. *Num servarunt se pueri utique à muliere.* Et re-  
spondet David: *In maliā remota fuit à nobis, sicut heri &*  
*nudius tertius quando egressus sum, & vas puerorum fuerunt*  
*santa,* hoc est, corpora corum impolluta, & à consortio  
muliebri immunia & munda. Est autem scortatio pecca-  
tum in proprium corpus, quia videlicet peccantes nullā aliā  
re quam suis ipsorum corporibus ad peccatum perpetrando  
abutuntur. *Omne peccatum quod feceris homo extra cor-*  
*pus est,* ait Apost. 1. Corinth, vi, 18. *sed qui scortatur in proprium*  
*corpus peccat sive proprium corpus peculiari impuritate pol-*  
*luit & contaminat.* \* Et hæc quoque est voluntas Domini

VT

v.6.

EPIST. AD THESSALONICENSES.

VT NE QVIS OPPRIMAT ET CIRCVMVENIAT,  
sive quæstui habeat in NEGOTIO FRATREM SVVM.  
Prius est violentia & impiis militibus in usu : posterius est  
astus & fraudulentia, frequentatum vafris institoribus, ini-  
quis mercatoribus, & præfertim improbis causidicis & ad-  
vocatis. NAM VINDEX severus OMNIVM ISTARVM  
iniquitatum DOMINVS EST , SICVT ANTE VOBIS  
DIXIMVS, ET ASSEVERANTER TESTIFICATI SV-  
MVS. \* NON ENIM VOCAVIT NOS DEVS AD  
IMPVRITATEM , SED AD SANCTIFICATIONEM.  
Non hoc egit Deus vocatione suâ, neque eo fine ( loquitur  
autem de intermedio, non de ultimo) nos peculiarem suum  
populum esse voluit, ut libidinibus & impuritatibus aliisque fla-  
gitiis operam demus, sed ut splendeat lux nostræ coram homini-  
bus ipsiæ perspectis nostris bonis operibus glorificant patrè in cœlis  
Matt.v,16. Similiter de electione loquitur Eph,1,4. Elegit nos  
in Christo ut sumus sancti & inculpati. Et de morte Christi Tit,  
11,14. Dedit semetipsum pro nobis, ut purificaret sibi ipso populum  
peculiarem, accensum studio honorum operum. Sicut itaq; cum  
voluntate & intentione Dei nos eligentis, redimentis per Fi-  
lium suum, & per Evangelium vocantis, nihil magis pugnat  
quam operam dare cupiditatibus carnis, que militant adver-  
sus animam : 1.Petr,ii,ii. ita quoque nihil Christianos minus  
decet & Christianismo magis est contrarium. \* PROINDE  
QVI hæc mandata de castitate servandâ, de proximo non  
opprimendo aut defraudando, & alia similia ASPERNA-  
TVR , NON ASPERNATVR HOMINEM, cuius hic  
nullæ sunt partes, nisi ministri & monitoris, SED DEVUM  
QVI non modo ista nos servare jussit, verum etiam DEDIT  
NOBIS SPIRITVM SVVM SANCTVM, cuius ope &  
beneficio, que mandata sunt præstare, cupiditatibus carnis  
resistere & peccata contra conscientiam vitare valeamus.In-

D

dignissi-

v.7

v.7.

v.6.

dignissime itaque feret, si in eo, quod præstare debemus, & per ipsius gratiam possumus, prævaricatores deprehendamur.

V. 9.

\* CÆTERVM DE FRATERNO AMORE, de quo pauca modo & obiter nunc attigi, dum à vi & fraude abstinentia esse monui, NON NECESSE HABETIS VT MVLTA SCRIBAM VOBIS. IPSI ENIM DIVINITVS DOCTI ESTIS, eum per Evangelium Dei, vivâ voce prædicatum, tûm per internam Spiritus Sancti gratiam & instinctum, VT DILIGATIS ALII ALIOS. NAM præclara specimina editis ET FACITIS HOC sive officia charitatis exerceatis, ERGA CVNCTOS FRATRES, non modo

V. 10.

QVI SVNT in urbe vestra, sed IN TOTA MACEDONIA, PRECAMVR AVTEM VT POTIVS EXCELLATIS sive quotidiano exercitio usque & usque in melius proficientes, plus perfectionis acquirere semper annitamini.

V. II.

\* ET sanctâ quadâ æmulatione CONTENDATIS QUIETI ESSE, remoti videlicet ab ambitione & rerum novandarum studio, quibus, qui opes & dignitates captant, Ecclesiæ resq; publicas turbare consueverunt. ET RES VESTRAS AGERE: Maxime enim odiosi sunt & turbis occasionem dant, qui alienis sese negotijs, quæ præter suam sunt vocacionem aut supra suum captum, ingerunt; AC OPERARI PROPRIIS MANIBVS VESTRIS SICVT VOBIS MANDAVIMVS. Ponit συνεδρχιλας speciem cum primis obviam & frequentem pro toto genere, quasi dicat: quam quis novit artem, eam exerceat, & functionis suæ munia diligenterobeat. VT VOS GERATIS DECENTER ERGA EXTRANEOS cum debita videlicet honestate & gravitate, ne infidelibus videamini esse inutilia terræ pondera, fruges consumerenati, ET NVLLIVS INDIGEATIS sive ne cogamini ob inopiam, quæ otium & inertiam consequi solet, à gentilibus, ad Ecclesiæ ludibriū, vitæ subsidia petere.

V. 12.

.1.

tere. \* NOLIM AVTEM VOS IN IGNORANTIA VER-  
SARI, FRATRES, QVOD EOS ATTINET QVI OB-  
DORMIER VNT (hoc verbi inter fidèles de mortuis usur-  
patur ob certam spē resuscitationis, vide Dan. xii, 2. Ioh. xi, 11.  
1. Corinth. xv, 18.) VT NE CONTRISTEMINI SICVT ET  
RELIQUI cives & tribules vestri in gentilismo adhuc hæ-  
rentes, QVI SPEM resurrectionis, quā Christiani nituntur,  
NON HABENT sed contra hominem morte penitus extin-  
guicredunt. \* NAM SI CREDIMVS IESVM MORTV-  
VM ESSE ET RESVRREXISSE, si hoc, inquam, fide in-  
dubitata credimus, ut Christianos oportet, si que verum hoc  
est, ut certè est verissimum, ITA ETIAM DEVS EOS QVI  
OBDORMIVER VNT IN CHRISTO IESV, hoc est, ad ex-  
tremum usque in fide, quā Christo fuerunt insiti, persevera-  
rint ADDVCET CVM EO redivivos scilicet in die ul-  
timi & magni judicij. Dixerat enim paulo ante (capite su-  
periore, vers. ult.) adventurum ipsum cum omnibus sanctis suis.  
Et 1. Corinth. vi, 2. & 3. docet Sanctos mundum & angelos esse  
judicatores, nempe assumtos in aërem comparituros hone-  
stissimo loco prope Christum judicem, ut videri possint ju-  
dicij adesseores esse, & judicium unà obire. Ponit autem, de  
quo nemo Christianus dubitabat, Christum cum suis fidelis-  
bus unum corpus mysticum confidere, & quæ conditio sit  
capitis, eandem quoque membrorum fore. Si revixerit ca-  
put, hodieque & semper vivat, vita quoque consortia fore  
membra: quo argumento utitur etiam 1. Corinth. xv, 12.  
Si Christus, inquit, prædicatur ex mortuis suscitatus esse, quomodo  
dicum quidam inter vos, non esse resurrectionem mortuorum &  
v. 16. Si mortui non suscitantur, Christus quoque non est suscitatus.  
\* HOC ENIM VOBIS DICIMVS IN VERBO DOMINI,

D 2

ncficio

neficio revelationis cognosci possit. Aequipollet ei, *Ecclesie mysterium vobis dico. I. Corinth. xv. 51.* FORE VT NOS VIA VI, QVI RELIQVI ERIMUS IN ADVENTV DOMINI, Non equidem existimabat Apostolus, se aliosvē, qui dum viverent, ad extreūm usque diem superfuturos : per Enallagē tamen personarum de se & cæteris tanquam superfuturis loquitur, ut admoneat propter incertitudinem temporis singulos nostrum ita debere esse comparatos, ac si quovis momento Dominus ad judiciū esset assuturus. Fiet, inquit, ut qui sive ex nobis, sive ex nostris vel posteris, vel fidelium cœtu superstites erimus, NON PRÆVENIAMVS EOS QVI OBDORMIERINT, quasi dicat : non est quod existimetis, mortuis quicquam, quod beatitudinē æternam attineat, decedere, aut qui in Domini adventu vivi reperti fuerint, vel solos gloriâ potituros, vel saltē citius potituros, & reliquos serius admissum iri; non est, inquam, quod aliquid ejusmodi vobis imaginemini. Vivim mortuos minimè prævenient; quin etiamsi alicui ab hoc die ad extreūm usque, mortalem vitam prorogare daretur, nihil ille, quod attinet æternam, quam solam æstimant spectantque

V.16. Christiani, plus quam pridem defuncti, haberet. \* NAM IPSE DOMINVS *εν πελοπονησῳ* cum hortationis clamore, quo videlicet mortui surgere, & coram Deo atque judice suo compare jubebuntur, unde veteres Latini reddunt *in iussu*, CVM VOCE ARCHANGELI, id est, sono quem primarius aliquis angelus validissimā aëris collisione efformabit. ET CVM DEI TVBA, cum sono, inquam, ad modum clangentis tubæ, quæ latissimè exaudiatur, & propter summam excellentiam Deum deceat, efformato. Quod enim excellentissimum est, addito Dei nomine describi consuevit. Sic *flamma Dei*, Cant. ix. 6; *arbores Dei* psal. civ. 16. *Cedri Dei*, psal. lxxx, II. *montes Dei* ps. xxxvi, 7. *vivus Dei*, ps. LXI, 10.

Lxv, 10: ad quem postremum locum R. David Kimhi, *Vox DEI et cognomen rei maxima & admirabilis.* Pari itaque ratione tuba Dei: voxque ista Archangeli erit tuba Dei; nam posterius est explanatio prioris. Similiter cum lex promulganda esset, auditus est sonitus tuba, *vehemens valde,* Exod. xix, 16, 19. Sicut igitur isto tempore, ita quoque extremo die ingens sonitus & penetrabilis clangor in aëre ministerio operaque Angelorum excitabitur. Et hic ipse tubæ vocabulo designatur, cum propter evidentiam eminentiamque soni, qualis in tubâ major, quam alio ullo organo; tunc propter convenientiam. Ad solum enim tubæ populus olim conveniebat, & in unum cogebatur: tunc universos, quotquot unquam fuerunt aut sunt, mortales congregari operabit. Festorum quoque & solemnitatum indicium tubâ factum est: tunc perenne festum & æterna solennitas inibit. Deinde tubæ in bello usus erat: tunc cunctos hostes suos Dominus strage, per quam omnis rebellandi conatus adimatur, prosternet. *Ultimam tubam*, priore ad Corinthios appellat Apostolus: quia ab eâ ultimi in hoc mundo celebrandi actus initium erit, finemque rerum & consummationem seculi adesse nunciabit. Hacce interpretatione literalem propriumque sensum quam proximè exprimitus. Interim tubam ex metallo aut ære & meteoris formatâ Angelis tribuere, nihil opus est. Neq; verò unicus aliquis Angelus huius operæ adhibebitur. *Mitteret filius hominis Angelos suos cum tube voce magnâ,* ait ipse Matth. xxiv, 31. Quia verò turmæ isti Angelorum principes aliquis Angelus præerit, ideo dicit Apostolus, *cum voce Archangeli.* Et quia quicquid hujus erit, ordinante & jubente Filio hominis fiet, ideo ipsius Filij hominis vox dicitur Ioh. v, 23. *Veniet hora, quâ omnes, qui in monumentis sunt, audiens vocem ejus, quam videlicet per Angelos suos edi jubebit.* Audient, id est, sentient, cique obedient, & prodibunt non

D 3

secus

secus ac si in vivis constituti mandantis vocem auribus suis  
haurirent. *Canet enim tuba & mortui excitabuntur.* Sed ad  
locum, quem modo præ manibus habemus, redeamus.  
*Ipse Dominus cum Dei tubâ DESCENDET E COELO; ET*  
*QVI MORTVI FVERINT IN CHRISTO.* (Nam infide-  
lium, etiamsi ipsi quoque sint resurrecti, ab Apostolo ta-  
men, fideles hic alloquente & consolante, nulla hic ratio  
habetur) RESVRGENT PRIMVM, prius scilicet quam  
vivis gloria conferatur, ut ita in vitam reversi non sint dete-  
riore conditione, quam vivi superstites. \*

V. 17.

*DEINDE NOS VIVI, QVI RELIQVI ERIMVS,* intercedente subitâ  
quadam immutatione, per quam nos, ut alij per mortem,  
corruptibilitatem deponemus; & eo quidem ipso momen-  
to, quo mortui resurgent, nos vivi immutabimur. *Nono-*  
*mnes obdormiemus,* ait I Corinth, xv, 51. *Sed omnes mutabimur,*  
*memento & ictu oculi, ad ultimam tubam.*, Oportet enim corru-  
ptibile istud induere incorruptibilitatem, & mortale istud induere  
immortalitatem. Nos igitur, inquam, vivi immutati RA-  
PIEMVR SIMVL CVM EIS mortuis videlicet resuscitatIS  
IN NVBES IN OCCVR SVM DOMINI IN AERA, ut  
prope ipsum Dominum & judicem superiore loco, infidel-  
ibus & damnatis in inferiore relictis, consistamus. ATQVE  
ITA judicio nôx peracto in posterum SEMPER & æternum  
CVM DOMINO ERIMVS. \* ITAQVE in obitu vestrorum  
CONSOLAMINI ALII ALIOS ISTIS SERMONIBVS, ijsque  
immodicum luctum arcete. Moderatum enim nemo pro-  
hibebit qui hominem nolit brutescere, neque affe&um er-  
ga charissimos penitus exuere. Necesse est, ait Augustinus,  
ut tristes simus quando nos moriendo deserunt, quos amamus, quia  
et si novimus eos non in eternum relinquere nos mansuros, sed ali-  
quantum procedere secuturos: tamen mors ipsa, quam natura re-  
fugit, cum occupat dilectum, contristat in nobis ipsius dilectionis  
affe.

V. 18.

affectum. Ideo admonuit Apostolus, non ut non contristemur, sed ut non sicut ceteri, qui spem non habent. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amictendi, sed cum spe recipiendi. Inde angimur, hinc consolamur; inde infirmitas afficit, hinc fides recitat; inde dolet humana conditio, hinc sanat divina promissio. Hæc ille, Serm. 32. de verbis Apostoli,

## QVINTVM CAPVT.

v. 1.

**P**orro resurrecturos mortuos esse, & extremo die fideles quosvis cum vivos immutatos, tum mortuos resuscitatos Domino in aere o cursuros & postea cum eo semper futuros esse, ita quidem docuimus & docemus: CAETERVM DE TEMPORIBVS ET MOMENTIS, quibus videlicet ista sint eventura, & quantum temporis ad extremum usq; diem & judicium supersit, FRATRES, NON NECESSE EST, VT VOBIS SCRIBATVR. \* IPSI ENIM à curiosâ & inutili ejusmodi inquisitione alieni estis, & PROBE NOSTIS DIEM ILLVM DOMINI, VT FVR NOCTE venit, ITA VENTVRVM ESSE, nempe inopinato & improviso ad futurum, ut omnino quando adfuturus sit, determinari à nobis nequeat. de die videlicet illo & hora nemo scit ne angeli quidem calorum. Matth. xxiv, 36. \* CVM ENIM infideles DICENT, PAX EST ET SECVRITAS, sive ut loquitur Servator Matth. xxiv, 38. Quando, sicut temporibus Noah, & diebus, qui praecesserunt diluvium, edent & bibent, uxores ducent & nuptum dabunt, TVNC REPENTINVN EIS IMMINET EXITIVM, VT DOLOR PARTVS MVLIERI GRAVIDAE, qui & vehementissimus dolor est, & nullo temporis discriminé, etiam noctu in somnis, & etiam interdiu inter epulas & convivia invadit, ET NEQVAQM EFFVGIENT. \* AT VOS, FRATRES, NON ESTIS

v. 2.

v. 3.

v. 4.

ESTIS IN TENEBRIS ignorantia & peccatorum,  
VT DIES ILLE VOS TANQVAM FVR (hujus enim simili-  
tudinis occasione, in allegoriā pergit) somno sopitos DE-  
PREHENDAT. \* OMNES VOS FILII LVCIS ESTIS  
ET FILII DIEI: hoc est, in luce veritatis Evangelicæ, &  
studij bonorum operum constituti: NON SVMVS au-  
tem filij NOCTIS, NEQVE TENEBRARVM, hoc  
est, neque versamur in ignorantia, neque acquitiæ, quæ  
lucem fugiat & tenebras quaerat, operam damus, \* NEM-  
PE IGITVR uti convenit fruentibus die & clarâ luce, NE  
DORMIAMVS somnum securitatis, inertiae, aut iniqui-  
tatum, VT RELIQVI in mundo homines à verâ fide alic-  
ni: SED VIGILEMVS, id est, ad excipiendum Dominum  
semper nos præparemus, ET SOBRI SIMVS, \* NAM  
QVI DORMIVNT NOCTV DORMIVNT, ET QVI  
INEBRIANTVR NOCTV SVNT EBRII, ita videlicet  
vulgò fit, & opera noctis quasi propria sunt dormire & ine-  
briari. \* AT NOS QVI SVMVS filij DIEI, & quos pro-  
pterea opera noctis minimè decent, SOBRI SIMVS,  
sive ut est Rom. XIII, 12, ubi eadem utitur allegoriâ, abyciamus  
opera tenebrarum, & induamus habitum qui luci conveniat, ut  
interdiu composite ambulemus, INDVTI videlicet THORA-  
CE (nam pugna quoque nobis est, sed non adversus carnem &  
sanguinem, Eph. vi, 12) FIDEI ET CHARITATIS: ET  
PRO GALEA SPE SALVTIS sive spe salutari. Hisce  
enim tribus vere Christianis virtutibus, facile depellitur Sa-  
tanæ, \* NAM NON CONSTITVIT NOS DEVS AD  
IRAM sive ad damnationem, SED AD SALVTEM OBTI-  
NENDAM. Eo itaque animosius & alacrius contra hostes  
salutis nostræ pugnemus, quo certiores sumus Deum ipsum  
id velle & agere, ut salvi simus, non quidem nostris ipso-  
rum viribus & operibus, sed PER DOMINVM NO-  
STRVM

v. 5.

v. 6.

v. 7.

v. 8.

v. 9.

STRVM IESVM CHRISTVM. \* QVI MORTIVVS  
EST PRO NOBIS, VT SIVE VIGILE MVS  
SIVE DORMIAMVS; h̄ic capitur propriè, & non ut  
antea metaphoricè; vel certe vigilare pro vivere, dormi-  
re pro mori, quasi dicat: ut quovis casu & quovis tempo-  
re CVM EO VIVAMVS, sive ipsi insiti vitæ spiritualis  
& cœlestis consortes efficiamur. *Sive enim vivamus, si-*  
*ve moriamur, Domini sumus, Rom. xiv, 8.* \* QVA-  
PR OPT ER cum tantam Dei erga vos benevolentiam  
compertam habeatis, ADHORTAMINI ALII ALIOS  
bonoque & alacri animo esse jubete, ET AÐIFICATE  
sive ad profectus in Christianâ perfectione faciendo singu-  
lari singulos excitate, SICVT ET FACITIS. Neque  
enim vos negligentia accuso sed amore & curâ vestri in-  
stigante, saltem admoneo, quod in hac vitæ infirmitate  
nunquam potest esse superfluum, neque s̄epius fieri,  
quam par fuerit. \* ROGAMVS AVTEM VOS  
FRATRES (hoc enim præ cæteris admonendum esse  
duximus) VT AGNOSCATIS EOS, QVI LA-  
BORANT INTER VOS in ministerio evangelico  
ET PRAESVNT VOBIS IN DOMINO sive nomine  
Domini, & juxta præscriptum ejus vos regunt in ijs, quæ  
cultum Domini concernunt, ET ADMONENT VOS  
ne animis vestris doctrina & præcepta quibus Christiana  
religio continetur, excidant, agnoscatis, inquam, ut agno-  
sci oportet Dei ministros, dignos videlicet qui in sum-  
mo pretio habeantur. \* ET QVAM MAXIME  
CHAROS HABEATIS PROPTER OPVS IPSO-  
RVM, quia videlicet Ecclesiam Christi ædificant, & pro  
animabus vestris excubant Hebr. XIII, 17. Non est igitur  
quod honorem sibiarrogant, qui operi isti faciendo non

E

incum-

v. 10.

v. 11.

v. 12.

v. 13.



incumbant. Præterea PACEM COLITE INTER  
VOS MVTVO, procul facessere jussis simultati-

V.14. bus, jurgiis & dissidiis. \* PRECAMVR AVTEM  
VOS, FRATRES, cum varia sint hominum in-  
genia, & alij alijs indigeant, neque omnes uno modo tra-  
dari possint, ut non piceat ad hanc varietatem vosmet-  
ipsos accommodare, & quid cuique conveniat observa-  
re, ADMONETE INORDINATOS sive dissolutius se-  
gerentes officij, & horratibus vestris bonam mentem,  
quam videntur amisisse ijs reponite; CONSOLAMINI  
PVSILLANIMES, SVBLEVATE INFIRMOS sive  
pronos in lapsum porrectâ quasi manu retinetе. Quo-

V.15. niam autem tam varia expediti non possunt, quin alicubi  
offendamini, & successu votis vestris ob hominum tardi-  
tatem non respondente, magnas molestias sentiatis; Ideo  
PATIENTI & miti ESTE ANIMO, & iram cohi-  
bete ERGA OMNES. \* VIDETE, NE QVIS  
vindictæ cupiditate, MALVM PRO MALO CVI-  
PIAM REDDAT, & injurijs inferendis cum altero certet,  
SED potius BENEFICENTIAM SEMPER. SE-  
CTEMINI, TVM INTER VOS INVICEM utpote  
domesticos fidei, TVM ERGA OMNES etiam in-  
dignos & vobis infestos. Nempe primus patiente<sup>z</sup> gra-  
dus est, non ulcisci injuriam; alter male meritos benefi-  
cijs prosequi, quod nobis injunxit Servator noster Matth.

V.16. 44. Diligite inimicos vestros, benedicite iis, qui execran-  
tur vos, benefacite iis qui oderunt vos. \* SEMPER GAV-  
DETE, hoc est, tranquillo & quieto este animo, utpote  
qui nullius contra conscientiam criminis vobis consci-  
sitis, & Deum habeatis propitium. Quibusunque ita-  
que casibus res humanae turbentur vos inter vos pace, quâ

Serua-

Servator discipulos suos donat, fruamini. \* SINE INTERMISSIONE ORATE \* IN OMNIBVS cum lxx tuis adversis GRATIAS AGITE. Omnia enim Deus in vestram salutem ordinat, & novimus iis qui diligunt Deum, omnia simul adjumento esse ad bonum, Rom. ix, 18. Ita videlicet inter seco cohærent, seque mutuo consequuntur spiritualia gaudere, orare, & gratias agere. HAEC EST ENIM VOLVNTAS DEI PER CHRISTVM IESVM ERGA VOS, sive hæc à vobis ex reverentia & amore Christi, cui nomen dedistis & tanquam membra inserti estis, præstari, Deo gratum est & acceptum. \* SPIRITVM NE EXTINGVITE. Duplex potest esse expositio, & utramque proponunt Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius. Spiritum ne extinguite, id est, 1. gratiam Sancti Spiritus in vobis habitantis nolite peccatis contra conscientiam excutere. Extinguit enim Spiritum vita impura, ait recte Chrysostomus. Metaphora à lumineducta est, cum gratia Spiritus sit illuminatio nostra. Vel Spiritus hic significat χαρισματα illa spiritualia, 11. dona videlicet linguarum, interpretationis atque alia quibus Ecclesia nascens illustrabatur, de quibus 1. Corinth, xii. & xiv. Ea vult in pretio haberi; minime vero per ingratitudinem aut contemptum reiici & amitti. Ejusmodi enim χαρισματα, et si saep nihil tale cogitantibus aut sperantibus conferebantur, nemini tamen invito obtrudebantur, aut penes contemnentem, & ad usum non transferentem durabant. Inde Timotheum jubet exsuscitare donum DEI, quod est, inquit, in te per impositionem manuum mearum, 2. Timoth. 1, 6. \* Subiicit generi præcipuum speciem, PROPHETIAS, id est, concessam peculiari Spiritus dono scripturæ interpretandæ scientiæ, NE PRO NIHI.

E 2

v. 17.

v. 18.

v. 19.

v. 20.

NIHILO HABETE μέσων est, pro maximi facite.

Qui enim prophetat hominibus loquitur adificationem & exhortationem & consolationem. I. Corinth. XIV, 4. Itaque, fra-

tres, ait, ambite prophetandi donum, & loqui linguis ne prohibe-

v. 21.

bete ibid. vers. 39. \* Cum autem nonnulli prophetas se

mentiantur & fucum hominibus faciant, quod etiam apud Thessalonicenses contigisse, ex Epistola sequentis capite secundo manifestum est: Ideo OMNIA PRO-

BATE, & juxta indubitate qua edocti estis articulorum fidei axiomata examineate. Nam qui prophetiae dono

instrutus est, prophetare debet narrare τὸν ἀναλογικὸν τὸν λόγον Rōm. XII, 6. Cohærent igitur inter se isti quoque

tres versiculi in hunc sensum: Charismata spiritualia no-

lite prohibere vel rejicere: in primis autem prophetiae do-

num in pretio habete; Nevero fucus vobis fiat, & com-

menta hominum ut Dei verbum obtrudantur, omnia probate: QVOD BONVM FVERIT, RETINETE,

ne cuivis spiritui credite, sed probate Spiritus an ex DEO sint. Nam multi Pseudoprophetæ venerunt in mundum. I. Ioh. IV, I.

v. 22.

\* AB OMNI non modo malo, sed etiam SPECIE MALI ABSTINETE, ut nequidem sinistra aliqua in vos cadere

queat suspicio, nec cuiquam scandali occasionem præ-

v. 23.

beatis. \* Subjungit votam. IPSE AVTEM DEVIS PACIS, qui pacem spiritualem vobis largitur, & pace

vestram mutuam delectatur, SANCTIFICET VOS TOTOS à mundo videlicet segregatos, constituat vos sacer-

dores ad offerendum spirituales hostias acceptas Deo per Jesum-

Christum, Apoc. I, 6. I. Pet. II, 5. ET INTEGRUS sit perfectus, & omnibus Christianæ sanctimoniac numeris ab-

solutus SPIRITVS VESTER, hoc est, anima rationalis,

ut Eccles. XII, 7. Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

ET

ET ANIMA sensitiva videlicet, cuius sunt irascibilis & concupiscibilis facultates, ET CORPVS, quo refertur locomotiva, INCVLPA TE IN ADVENTVM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, (hoc est, ad extremum usque ut diximus supra cap. III, vers. ult.) CONSERVEN-  
TVR, nempe tum demum sanctificatus est homo, & per-  
fecte Deo subiicitur, quando mens nihil cogitat, nihil de-  
siderat appetitus, nihil exequitur corpus, nisi quod divi-  
na voluntati respondeat. Rectè autem ex solum memo-  
rantur facultates, quæ aut per se, aut per participationem  
libera sunt, sive in quas homini déminum aliquod. \* Ne-  
que est quod id fore dissidatis, FIDELIS EST DEVS  
QVI VOCAVIT VOS, QVI ETIAM ID EFFICIET,  
ut integritate conservata, ad aeternam salutem perveniatis.  
Neque enim à parte suâ quicquam patietur desiderari.  
\* Iubet præterea se suosque labores Deo precibus com-  
mendare & fratres cum osculo sancto, de quo diximus  
Rom. XVI, 16, salutari. \* Tandem ADVIRO, inquit, sive  
obtestor VOS PER DOMINVM CVI rationem sitis  
redituri, nî pareatis VT RECITETVR HAE C EPI-  
STOLA OMNIBVS SANCTIS FRATRIBVS. Non  
vult supprimi Epistolam, sed reliquis omnibus communica-  
ri abijs, ad quorum manus primum pervenisset. Vi-  
detur autem Presbyterio missa fuisse. Si legere aut audi-  
re Epistolas Apostolicas tum temporis quivis fidelis de-  
buit, cur id ipsum hodie piaculum habetur? Malumus ita-  
que cum Chrysostomo facere, quam cum hodiernis Ro-  
manis Pontificibus. Hi in expurgatorio suo, quem vo-  
cant, indice regulâ quartâ edicunt, ut qui absque facultate  
Episcopi aut inquisitoris Biblia idiomate vulgari, habuerit aut  
legerit, nisi prius Biblis ordinari redditis, peccatorum absolutio-

V.24.

V.25.26.

V.27.

nem percipere non possit. Additur autem ad eam regulam observatio, quod per eam nulla de novo tribuantur facultas Episcopus vel Inquisitoribus, concedendi licentiam emendi, legendi aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hactenus mandato & usu Sancte Romane & universalis inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias legendi vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias sancte scriptura tam Novi quam Veteris Testamenti partes, quarum vulgari linguae editas, ac insuper Summaria & compendia etiam historica corundem Bibliorum seu librorum sacrae scriptura quocunque vulgari idiomate conscripta, quod quidem inviolatè servandum est. At è diametro contrarium inculcat Chrysostomus, totâ fere homilia tertia de Lazaro, è qua tamen pauca saltem adscribo. Id semper, inquit, hortor, & hortari non desinam, ut non hic tantum, (in publicâ videlicet concione) attendatis ijs, que Domini, verum etiam quum domi fueritis, assidue divinarum scripturarum lectioni vacetis. Quod quidem & iis, qui privatim mecum congreſi sunt, non destitu inculcare. Mox per occupationem subterfugium quorundam (ego forensibus causis affixus sum, publica gero negotia, artificium exerceo, uxor em habeo, alio liberos, familia curam gero, mundanus homo sum, non est meum legere scripturas) intercludit. Et postea: Magna adversus peccatum munitio est scripturarum lectio: magnum precipitum, profundum barathrum, Scripturarum ignoratio: magna salutis perditio, nihil scire ex divinis legibus; ea res & heres peperit, ea vitam corruptam invexit, ea sursum deorsum miscuit omnia. Nam fieri non potest, non potest, inquam, fieri, ut quis sine fructu discedat, qui assidua attentatio Scripturarum lectione fruatur. Hisce Chrysostomi verbis epistolæ interpretationem quasi obsignare libuit.

Explicationis IN PRIOREM AD THESSALONICENSES.

F I N I S.





153 155

X2615745

K

VD17



COMM

qua

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

Farbkarte #13

II.  
**GEORGII CALIXTI**  
**S. THEOL. D. ET IN**  
**ACAD. IVLIA PRIMARII**  
PROF.  
IN EPISTOLAM  
SANCTI APOSTOLI PAVLI AD  
**THESSALONI-**  
**CENSES PRIOREM**  
EXPOSITIO LITTERALIS.  
QVOMODOILLA ANTE ANNOS XXIX, QVVM PVBLICE  
PROPOSERETVR EXCIPIT POTVIT.  
NUNC PRIMUM EDITA.



BRVNUSV IGAE,  
Typis & sumptibus ANDREAE DVNCERI,  
M. DC. LIV.